

minus iræ internæ idem assignat supplicium, quod lex vetus homicidio: *Audistis, quia dictum est: qui occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*, q. d. pari supplicio dignus est cum homicida. Ergo iram non venialem, sed mortalem intelligere videtur.

V. Itane omnis ira vel contumelia infernum promeretur? Respond. intelligendam esse iram, quæ sine ratione est, et appetitum gravis alicujus vindictæ, velut homicidii, mutilationis, vel alterius gravis læsionis, aut infamationis conjunctum habet. Similiter contumelia et contemptus, in voce *raca* et *fatue*, gravis intelligendus est, qui charitatem proximi graviter offendet. Quare non omnis ira et objurgatio cum voce *raca* (id est, inanis et vacuus) vel voce *fatue*, peccatum etiam veniale est: quando enim ex bono zelo et cum ratione prodit ira et increpatio, bona potius est. Zelus vero ille tribus ornari conditionibus debet. Prima est, ut non ex amore propriæ vindictæ, sed honoris divini, justitiæ salutis et instructionis proximi promanet: secunda, ut in ipsa vitia non in homines tendat; vitia enim odisse, homines diligere debemus: tertia, ut servetur modus debitus, qui tranquillitatem mentis internam non perturbet, et dilectionis dulcedinem erga correptos non imminuat. Hoc modo juste et cum laude corripuit Christus discipulos, appellando eos stultos, Luc. XXIV. Judæos mendaces, filios diaboli, cæcos: Job uxorem suam stultam: *Quasi una de stultis mulieribus locuta es, etc.* Et sic ob causam justam potest quis increpando fratrem appellare fatuum, ut docet S. August. lib. 1. de ser. Domin. capite XIX.

VI. Cur non pudet hominem iræ, cum fede immutet hominem, pudeat vero pravorum carnis motuum? Respond. primo, quia motus iræ etsi vitiosus, fere tamen pendet ex imperio voluntatis: non ita carnis motus licet vitio careant, quia hi frænum voluntatis respuunt; unde hominis infirmitatem et pœnam peccati genere humano in primis parentibus inflictam produunt.

Secundo, quia ira non semper mala, sed quandoque bona est, et nemo flagrante præsertim ira putat se temere et sine causa irasci. Bona est ira rationabilis et justa duplici ex causa: primo, quia excitat hominem ad puniendam scelera et corrigendos errantes, uti Phineem et Mathathiam ad vindicandum scelus fornicatus et idololatrantis. « Si ira non fuerit, inquit D. Chrysost. in Matth. hoc loco, nec doctrina proficit neque iudicata stant, neque crimina compescuntur. » Secundo, quia juvat ad punitionem, sicut virga ad corrigendos pueros. Sic Moyses assumpsit iram quasi virgam ad

castigandos vituli adoratores, Exod. XXXII. et scortatores cum Madianitis, Numer. XXV. sic Elias ad occidendos pseudoprophetas, III. Reg. XVIII. et duos quinquagenarios cum suis quinquaginta, IV. Reg. 1. sic Eliseus ad castigandos obtretratores pueros, IV. Reg. II. sic Paulus ad corripiendum Elymam magum, Actor. XIII.

VII. Ira quæ gravissima? Respond. Aristotelem, l. IV. ethic. duplex constituere genus iratorum. Primum, eorum qui repente et facile nimis exardescunt; quos vocat summe biliosos, qui scilicet iram non comprimunt, sed statim provolant ad referendam injuriam: alterum, eorum, qui diu retinent iram et pene implacabiles, qui tunc demum quiescunt, cum in injuriam ulti fuerint: *Sed si non possint ulcisci, quasi gravi quodam onere premuntur, intra se iram coquentes*, inquit Aristoteles. Talis ira fuit in Caino erga Abel, in Esau erga Jacob, in Antiocho erga Judæos, etc. Levissima igitur est ira eorum, qui tarde irascuntur et cito placantur; gravior eorum, qui cito irascuntur et cito placantur; uti et illorum, qui tarde irascuntur quidem, sed et tarde placantur. Gravissima et diabolica est illorum, qui repente irascuntur et iram diutissime retinent, nec sedari possunt, hoc enim cacodæmonum est, repente eligere et pertinaciter electioni inhærere.

VIII. Cur adeo accelerari et quidem importuno tempore (oblationis) jubet Dominus reconciliationem? Respond. primo, quia sine charitate nihil Deo placet: unde apost. 1. Cor. ult. *Omnia vestra in charitate fiant*. Quemadmodum enim Deus olim cum omni oblatione vel sacrificio præcepit offerri sibi sal, Lev. II. ita nullam recipit oblationem sine charitate nullum Deo sacrificium.

Secundo, quia si diutius paulo differatur reconciliatio, timendum ne postea dissimuletur et magis differendo, omnino intermittatur, ut docet S. Chrys. hom. XVI. in Matth. « Nihil est quod ita vitam nostram valeat evertere, inquit, ut operum honorum actionem dissimulare, semperque differre; semper enim istud omnibus nos bonis fecit excidere. »

Tertio, quia plus situm est in reconciliatione, quam in oblatione; prius enim debent mala opera tolli, quam bona opera fiant. Ergo iracundiæ mactatio magis necessaria hostia erat, quam illa quæ ad altare posita: quia prius reconciliandus per penitentiam Deus, postea muneribus honorandus; sicut etiam prius solvenda sunt debita, quam dentur largæ donationes.

Quarto, quia quo diutius differtur reconciliatio, eo diutius patitur offensus, angitur, perturbatur, et forte cogitat de vindicta, atque ita

creseat interim culpa ejus, qui offendit, et reconciliare sibi fratrem differt, veniamque ab eo postulare. Eadem ratione læsus si veniam precati læsori, veniam dare nolit, petentem quodammodo suffocat, ut in parabola illius servi nequam, et interim multo periculosius jugulat semetipsum.

Quinto, quia qui in hoc reconciliationis negotio prævenit proximum suum, palmam ei præripit, in celo accipiendam. Sic ethicus ille Eschines fatebatur se esse victum ab Aristippo, quod cum illo simultatem habens, non prior illum adierit veniam rogando, sed ab eo præventus sit. Mundus probrum esse putat, cum quis ab altero veniam petit, sed mentiri eum vel isti gentiles docent; docet et ipse Deus, qui peccatores prævenit excitando ad penitentiam.

Sexto, ut appareat, quam bonus et fidus si nobis Deus, qui non vult esse amicus inimico nostro, nec munus ejus recipere, donec nobis satisfecerit, et in gratiam redierit. Nos vero infidi et stulti filii Adam cum inimicis Dei societatem inimus, colludimus, conversamur, muna ab illis accipimus, solatia et præsidia requirimus, tametsi vana, inania, fallacia.

IX. Infernus cur gehenna vocatur? Resp. gehennam secundum D. Hieron. in trad. Hebr. in

I. Paral. et comment. in Jerem. deduci a *gehennon*, quod est vallis filiorum Ennon, prope Jerusalem sita, nemorosa, profunda (sic enim Isa. XXX. pro *tophet*, Chald. habetur *gehenna*, apud Septuaginta interpretes *vallis profunda*) ubi Judæi idolo Moloch cremandos immolabant filios suos, ac ne pereuntium ejulatus audirentur a parentibus, pulsabatur interim tympanum; ideoque *tophet* dicta a *toph*, quod est tympanum, ut advertit Cornel. a Lapide, Isa. XXX. ergo Salvator noster infernum comparat gehennæ. Primo, quia est quasi lucus obscurissimus, omni luce destitutus, adeoque nox perpetua: secundo, quia vallis profundissima, juxta centrum terræ sita: tertio, quia ergastulum sævissimum, ubi incendio inextinguibili cremantur inferi. Unde id describens Isaias, loco cit. ait: *Præparata est ab heri tophet: nutrimenta ejus ignis et ligna multa*; ab heri, id est, ab initio mundi; ligna, id est, sulphur et alia ustilia: quarto, quia locus tumultus tympani et belli, fletus et ejulatus, cædis et interfectionis: quinto, quia carcer densissimus, unde nulla exaudiuntur lamenta, nulli clamores, nullæ appellationes. Hunc carcerem, auditores, hoc *tophet*, hanc gehennam sæpe cogitemus, ne gehennæ rei fiamus.

## AUCTARIUM.

### CONCIO I.

IRA IMMODERATA QUANTUS PRÆDO.

I. Aufert homini mentem et rationem. — II. Aufert honestatis gravitatem. — III. Aufert pacem cordis.

#### THEMA.

*Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Matth. V.

Jure merito, auditores, timere nobis possumus ac debemus, dum in hod. evangelio audimus serio asserentem Salvatorem: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Quo vero iudicio? Humano ne an divino? Non arbitrò humano; quis enim propter iram trahitur ad iudicium? Igitur divino illo severissimo. Sicut enim homicidæ et prædonei rapiuntur ad tribunalia humana (vult dicere Salvator); ita, propter iram, vocabuntur homines ad tribunal divinum. Quis sibi hic non metuat? Quid enim communius et frequentius inter homines, quam iræ fræna laxare? Et quid magis timendum, quam Dei iudicium, quod

adeo deprecatur David, Ps. CXIV. dicens: *Non intres in iudicium cum servo tuo?* Et cur ira tandem iudicio Dei obnoxia est? Audite et dicite mihi, numquid non fures, prædonei et latrones trahuntur ad iudicia? Ita est, respondebitis. At quid, si ira immoderata et infrænis talis prædo sit et latro? Tametsi enim forte proximum non despoliet, ipsum tamen iratum et spoliat et mactat; id quod sane spectat ad Dei tribunal, qui non solum præcipit ut ne alterum lædamus, sed ut ne nos ipsos quoque. Jam vero iracundiam pessimum prædonem esse testatur Cassianus abbas, vir doctrina et pietate illustris, de institutis renuntiantium, lib. VIII. qui est de spiritu iræ, cap. 1. ubi docet iram eripere homini tria potissimum bona et decora admodum præstantia, *consilium, gravitatem, pacem*. Jure igitur prædo, et magnus quidem appellari potest, quia animam deprædatur, uti mox videbimus.

I. Aufert homini consilium, mentem et rationem; quia: *Vir iracundus agit sine consilio*, ait Cassianus, loc. cit. Præter experientiam testatur

S. Greg. I. V. moral. cap. III. quod densissimas tenebras menti objiciat, confirmatque ex Eccl. cap. VII. dicente: *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit.* Ubi causam addit: *Quia nimirum intelligentiæ lumen subtrahit, cum mentem permovendum confundit:* et infra: *Per iram lux veritatis amittitur, sicut scriptum est: Sol non occidat super iracundiam vestram* (ad Ep. IV.) *quia cum menti iracundia confusionis tenebras incutit, huic Deus radium suæ cogitationis abscondit.* Quod est sol mundo, quod oculus corpori, hoc est ratio animæ hominis. Tolle solem, quæ miseria in mundo erit? Tolle oculum corpori, quæ calamitas? Et quid homo ratione destitutus? Nonne omni bestia calamitosior? Hanc vero, licet ad tempus, quamdiu nimirum homo iratus est, tollit iracundia: quantus igitur prædo est? Porro ex hac deprædatione sequuntur plura alia damna. Primo enim, iratus nullius boni consilii capax est. Nam: « Ut fumus, ait Aristoteles, apud Stobæum, sermon. XVIII. mordicans oculos non videre permittit quæ pedibus adjacent; sic iracundia oboriens rationem offuscet, et quod bonum habitura mens fuerat a ratione, eo non sinit ipsam iracundia sine labore potiri ac molestia. » Naaman, videns quod Elisæus ad ipsum non egrederetur, sed ablegaret ipsum ad Jordanem pro cura lepræ suæ, ad iram concitatus sprexit sanum consilium, et prætulit aquas patriæ suæ aquis Jordanis. Verum, ubi consilio servorum discussa est iracundiæ nebula, tum demum expertus est quantum aberrarit, quamque bene propheta ipsi consulerit, IV. Reg. III. *Fluvios ergo Damasci iratus prætulit, Jordanem meditatatus elegit,* ait S. Ambros. in c. IV. Lucæ. Eudoxia christiana et catholica imperatrix, S. Chrysostomo infensa, plena iracundiæ veneno, ut Chrysostomum hæreseos accusare et ejicere posset, nihil non molita, etiam Epiphanium Cypri episcopum in suam trahere sententiam conata est. Cui cum ille non satis assentiretur, sed odium potius deponendum suaderet, illa in furiam acta, in hanc execrabilem prorupit vocem: *Nisi tu, Epiphani, adjuveris, ut Joannes exilio mulctetur, ego clausa idolorum templa aperiam, omnibusque ea adoranda proponam,* ut in vita S. Chrysost. 14. sept. En cæcum et desperatum iratæ feminæ consilium! Deinde, reddit hominem inutilem ad omnem administrationem et gubernationem: *Ira enim viri justitiam Dei non operatur,* ait S. Jac. c. 1. *quia dum perturbata mens judicium suæ rationis exasperat, omne, quod furor suggerit, rectum putat,* inquit S. Gregor. I. V. moral. c. XXX. Quare cholericis, et qui iram frænare nesciunt, ad scepra et tribunalia idonei non sunt, tametsi collum torque et digitos annulis aureis ornent

atque onerent. Abripiuntur enim non qua æquitas vocat, sed qua passio et ira rapit. Inde illud iracundi hieroglyphicum in Hieron. collectan. I. VI. homo ferocissimo equo insidens, a quo susque deque raptatur, hunc obvius quidam interrogat, quorsum tam festinanter abeat? Cui respondet miser, equum digito demonstrans, et hæc verba in aurem loquens: *Quo isti placet.* Iracundos enim si quis roget quorsum tam præcipiti impetu ferantur, respondebunt, si verum fateri velint: Quo iracundia nos trahit. Ex quo satis patet, iratum in quam plurima alia impellere peccata, primum ac facile esse.

Ad hæc, obtenebrato intellectu et inflammata passione, sævit in res innoxias velut insana bellua. Nil dicam de Xerxe, qui ob classem tempestate disjectam iratus mari et ventis, jussit Hellesponto trecenta verbera infligi et colaphos incuti, apud Herodot. I. VII. nil de Cyro, qui Gyndem flumen ob demersum ejus equum in 180. alveos iratus dividi jussit, eod. auctore: Maximianus imp. cum S. Pantaleonem nullis enecare suppliciis posset, tandem feris objecit, quæ cum ad martyris pedes supplices adrepissent, furorem imperator in feras convertit, omnesque trucidari jussit, in vita S. Pantaleonis, 27. julii. Lipel. Bego, genere Ludovici Franciæ regis, cum per ostium oratorii nonnihil humile, ipse corpore procerus, ingrediens caput imegisset, quod non satis se inclinasset, ira percitus jussit dirui oratorium, dicens ad suos: *Cavete ne huc revertens istud hic inveniam, alioquin certe penas luetis:* verum ubi id dirui ceptum, ipse a dæmone obsessus est, in vita S. Rigoberti episcopi Rom. 4. jan. denique ira: *Commotus gladio sæpe transverberat innocentem, amicos et fratres,* ait S. Ambros. in Ps. XXXVI. Sic Alexander M. Clytum amicissimum sibi in ira peremit, auct. Curtio: sic Carolus VIII. Franciæ rex in Britannia ducem exacerbatus cum suos educeret apud Cenomanos, repente in suos comites stringit gladium, unum atque alterum occidit, complures vulnerat, quoad lassitudine confectus ex equo decidit actus in furiam, Æmexlius, I. X. Quæro jam, si quis aliquem oculo privaret, aut feroci equo sine fræno imponeret, aut in furiam atque insaniam ageret, quomodo non ille pro nocentissimo prædone habendus et mulctandus esset? At hoc fecit nobis ira immoderata. Prædo igitur est, et quidem animarum, proinde reus erit judicio.

II. Aufert homini auctoritatem seu: *Ipsam honestatis gravitatem,* ait Cassianus cit. *quæ etiam viris sæculi hujus solet familiaris existere, quam nullo modo possidere poterimus, licet nobiles et honesti natalium prærogativa putemur; quia vir iracundus inhonestus est.* Imprimis enim defor-

mat hominem in facie, ita ut non tam homo, quam fera bellua aut dæmon esse videatur. « Oculi consueti non apparent, ait S. Basil. hom. de ira, sed ignei micantesque, dentes acunt velut sues grassantes: vultu sunt liventi sanguine suffuso, oris tumore increbescente, venæ, ob turbati intra viscera spiritus angustiam, disruptæ. Vox aspera et intensa, sermo inconstans et confusus ac temere cadens, nec concinne, nec significanter, nec ex parte quidem prolatus: » et mox: « Videre licet manus quidem erectas etiam adversus contribulos, et per omnes corporis partes distractas: pedes extra omnem ordinem, et ab re certatim discurrentes, denique partes corporis omnes insanie instrumenta factas. » Sic Basil. Similiter S. Chrys. hom. de mansuetudine, ubi ait, iratum videri a dæmone obsessum. Cujus ratio est, quia ira est effervescentia sanguinis circa cor, quæ proinde hominem ita succendit, ut naribus fumos, ore et oculis ignes spirare velut ardens caminus videatur, eaque non extinguitur, donec aliquid glutiat et devoret, sive famam, sive substantiam, sive sanguinem, sive membrum aut vitam alicujus, conviciando, spoliando, vulnerando, mutilando, mactando, juxta id Ecclesiastici XXIII. *Anima calida quasi ignis ardens non extinguetur, donec aliquid glutiat.* Hinc irati circumeunt velut rabidi canes aut leones quærentes quem devorent aut mordeant saltem: hinc et labia mordent, quasi minitantes aliis similem morsum aut devorationem, ut testatur Sapiens, Prov. XVI. *Qui attonitis oculis cogitat parva, mordens labia sua perfecit malum.* Quando igitur ira tam deformem efficit hominem, et plane in bestiam commutat, nonne ipsi omnem auctoritatem, gravitatem et existimationem detrahit? Et nonne hoc unum satis foret ad cavendum hunc prædonem? Audiamus ethnicos homines. Galenus, I. de cog. et curand. animi morbis ait, se adhuc puero inspectante hominem clave januam aperire properantem, nimia celeritate et aviditate aperiendi cæcatum, quo magis festinaret, eo minus profecisse. Igitur cum diu clavem huc et illuc properanter versando frustari se cerneret, ita excanduisse, ut instar rabidi clavem dentibus, fores pedibus invaderet, mox sursum et deorsum cursaret, et non diu post tragico vultu, oculis scintillantibus ac tumentibus, ore spumanti, et voce incondita in cælum conversus, superos ipsos execrationibus dirissimis laceraret, et Deum ipsum inde, renovata gigantum audacia, exturbare velle videretur. Qua omni insaniam tamen non impetravit ut clavis seram panderet, quam nullo negotio aperisset, nisi insaniisset. Hoc exemplo puer Galenus ita didicit iram detestari, ut

postea nulli unquam visus sit ira etiam levissima commoveri. Plutarchus, I. de cohib. iracundia sic de se scribit: « Sicut Hippocrates ait, eum morbum esse gravissimum, qui faciem ægotantis quam maxime mutet in diversum: ita conspicient alios ob iram maxime sibi excedere, et vultum immutantes, calorem, incessum et vocem in diversum vertere: hinc velut imaginem ejus mali mihi fingebam, admodum dolens, si aliquando tam formidabilis viderer amicis et aliis, non tantum aspectu truci et inamæno, verum etiam vocem emittens immitem et asperam. Quod si mihi esset famulus diligens, haud moleste ferrem, si in ira speculum adferret, etc. » Teste enim Seneca, I. II. de ira, cap. XXXVI. « Quibusdam iratis profuit aspexisse speculum, perturbavit illos tanta mutatio sui. »

Accedit quod iracundus prodit internos animi sui morbos, et insipientiam suam, seque aliis derisui et contemptui exponit, a quibus prius magni æstimabatur. Hebræorum proverbio: *Backis, baccos, baccas, in loculis, poculis et foculis mens hominum cognoscitur.* Foculi notant iram, ut refert Cornel. in cap. XXXI. Eccl. Dum enim iracundus fræno rationis perdit, quidquid in corde virulentis gerit, impotens sui effundit, hoc ipso qualis intus sit ostendit: sicque omnem gravitatem suam perdit. Recte dixit Isaias, cap. LVII. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest,* Hebr. *nunquam non stercus et lutum projiciunt.* Quod maxime de iracundis, qui instar maris fervent, intelligendum habet. Quando enim mare ostendit quæ intus habet horrenda et spurca, nisi cum effervescit, ac veluti iracundia temulentum in littora se effundit? Tunc enim algam et spumam, et quidquid fædi habet, ejicit. Idem facit iracundus, quem *mare ventis commotum* appellat S. Chrysostomus, homil. IX. in Gen. prodit enim impatientiam, superbiam, insipientiam, levitatem, scurrilitatem, puerilitatem suam.

III. Aufert pacem, siquidem: *Nec quieti esse a perturbationibus noxiis, nec poterimus carere peccatis, tametsi nequaquam nobis inquietudines ab aliis inferantur: quia vir animosus parit rixas, vir autem iracundus effodit peccata,* ait Cassianus, loco citato. Quem locum desumpsit ex Proverb. cap. XV. ubi nos legimus: *Vir iracundus parit rixas.* Hinc Joseph fratribus præcepit: *Ne irascimini in via,* Genesis XLV. sciens ex ira nasci rixas. Unde Hebraice habetur: *Ne rixemini, quasi iram semper comitetur rixa.* Quæ autem pax esse potest, ubi rixæ sunt? Quamquam ira per se pacem animæ turbet, sicut tempestas tranquillitatem aeris, sicut modicum fellis aut absinthii immisum in vas melle pleuum, totum

mel corrumpit et amaricat; ita iracundia pacem cordis. Hinc apostolus ad Ephesios IV. peccata in vocat *maritudines: Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis. Ratio est, quia iræ sedes et materia est fel et bilis, quæ in irato effunditur in stomachum et alia membra. Hinc iracundo omnia amara sunt, quæcumque dantur vel dicuntur, vel etiam comedenda apponuntur. Ad hæc iracundus pace corporis, quæ est sanitas, se spoliat, dum seipsum quasi exedit et consumit; sicut polypos, si venatio eum deficiat (teste Eliano, libro 1. anim. cap. XVII.) quasi iratus sua brachia arrodit; sicut tinea pannos a quibus oritur, absorbit; et sicut tigris ad tympanorum pulsum (auct. eodem Eliano) sæpe in tantam exurgit iram, ut seipsam discerpens interimat. Cujus amentia, sed falso, accusavit Jobum Baldad: *Quid perdis animam tuam in furore tuo?* Job XVIII. Alii vertunt: *Discerpens animam tuam.* Quod verissime tamen in iracundos dicitur, qui dum alios glutire et ferire volunt, seipsos perdunt, discerpunt, et exedunt curis, rancore, odio: nec in animo solum, sed in corpore etiam, dum sibi ipsis vitam abbreviant. Nonne videntur tigrides fuisse illi plusquam quadraginta Judæi, qui se devoverunt ex ira et odio in Sanctum Paulum, quod nec manducare, nec bibere quidquam vellent, donec occidissent eum? Actorum XXIII. Quasi vellent, se mactare inedia, nisi mactent Paulum, ut exponit Sanctus Hieronymus, in cap. XX. Prov. apud Lorin. ibi. Sed Paulus quidem e manibus eorum evasit; ipsi vero interim inedia macerati sunt. Quid, quod non paucos propria ira interemit? Inter alios Wenceslaum illum Bohemiæ regem et imp. fœdissimum, qui pugionem stringens in pocillatorem ob leve verbum monitorium (nuntiata enim regi Hussitarum seditione, dicebat pocillator: *At ego hoc prævideram*) incidit præ furore in apoplexiam, deinde in paralytim, in qua, velut porcus in volutabro, post decem et octo dies animam exhalavit, ut ait Cuspinianus. Deinde, Matthias Corvinus Hungariæ rex, qui cum Neostadium in Austria occupasset, die palmarum ficus sibi apponi jussit, et cum selectiores haberi non possent, (velut Cureus et alii referunt, quod aulici ficus recentes sibi ex Italia allatas devorassent) in tantum ira intumuit, ut apoplecticus concideret, ac velut amens, nutus, belluæ instar horrendos mugitus edens obiret, chron. Hungar. anno 1490. Bonfin. libro VIII. dec. IV. Bene igitur dixit Eliphaz, Job V. *Vere stultum interfecit iracundia.* Stultus ibi iratum significat, uti alias sæpissime in Scriptura, ut quasi pro eodem habeatur: iracundi enim ob levissimam quamque rem sicut*

stulti irascuntur. Contra solem, si paulo sit ferventior; contra ventum, si perisset vehementius; contra frigus et æstum, si magis sint intensa, quam eorum mollities ferat, indignantur; irascuntur calamo si non reddat atramentum; tesseris, chartis lusoriis, ut quandoque dentibus velut canes eas dilacerent. Quid aliud stultus faceret? Taceo morbos alios ventriculi, capitis, podagræ, quos ira parit, bilem in stomachum et alia membra ejiciens: ex quibus vita minuitur; juxta id Ecclesiastici XXX. *Zelus et iracundia minuunt dies.*

Quid igitur nos, auditores? Nonne aperte vidimus, quantus prædo sit iracundia, quæ hominem despoliat præstantissimis, quæ habet, bonis, ratione et consilio, auctoritate et estimatione, pace interna et externa, sanitate denique, et quandoque vita, quodque omnium calamitosissimum, felicitate æterna, si cum ira sua hinc discedat? Hinc caute et sapientissime Christus hodierno evangelio immediate subjicit optimum consilium? *Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo; ne forte tradat te adversarius judici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris.* Qualem vero carcerem? Ignem diabolicum, perpetuum, æternum: *Amen dico vobis, ait: Non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem.*

## CONCIO II.

## IN IRA QUID AGENDUM.

I. Commenda causam tuam Deo. — II. Ne festines. — III. Ne loquaris, neve arma corripas. — IV. *Meum et tuum pelle.* — V. Nihil serium tunc aut severum statuas. — VI. Mentem avoca, et alio converte. — VII. Sol non occidat super iram tuam.

## THEMA.

*Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*  
Matth. V.

Vitam nostram naviganti similem recte asserit Divus Gregorius, epistola XXVI. ad Andream, libro VI. Nam, ut alia taceam, sicut navigantes tempestatibus sunt expositi, ideo nosse debent, quæ ratione eis occurrere, navimque regere oporteat; ita homines in hoc fluctante mundi pelago navigantes, tempestatum iracundiæ maxime sunt obnoxii, ideoque bene attendere, sibi que cavere debent, ne gravis alienigenæ peccati naufragium incurrant. Dubia est salus navigantium in tempestate: ita et irascentium, uti indicat Dominus, in hodierno evangelio: *Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* In iudicio litigatur, et dubia adhuc versatur causa litigantium, ut vel absolvantur si vincant; vel condemnentur, si succumbant: in iracundia etiam,

qui se virum exhibet, et frænâ eam ratione, velut peritus gubernator navim, gloriam habebit: qui vero ignavum et effeminatum sese præbens vincitur, ignominiam et damnationem. Ergo videndum superest. (quia fere nemo est, qui non subinde irascatur) qua ratione gerere nos in hujusmodi tempestate debeamus; quod hic faciemus.

Actorum penultimo capite legimus S. Paulum, cum Romam vincens e Judæa per mare duce-retur, gravi tempestate comprehensum esse, in qua partim ipse, partim navarchi varia moliebantur, ut naufragium evitarent: et navi quidem fracta, omnes salvatos esse. Nos hæc eadem imitabimur.

I. Sanctus Paulus periculum illum naufragii Deo commendavit; quod inde colligo, quia propterea jejunarunt: (*Cum multa jejunatio fuisset, ait Lucas*) et angelus Domini Paulo assistens dixit, Deum ipsi donasse omnes animas, quæ in navi erant. Optimum etiam foret insurgente iracundiæ motu, se et causam suam Deo commendare, exemplo illius Annæ, 1. Regum 1. quæ afflictâ ab æmula sua Phenenna, quod esset sterilis: *Cum esset amaro animo, per orationem recurrit ad Deum, et effundit animam suam in conspectu Domini, coram arca in Silo, causam et afflictionem suam Domino proponens ac committens.* Idem egit David, quando, deprehenso Saule in spelunca, cogitavit eum occidere, sed mox mentem in Deum reflectens, mutavit consilium dicens: *Propitius sit mihi Dominus ne faciam hanc rem domino meo, 1. Reg. XIV.* Ubi Divus Chrysostomus, hom. 1. de Davide et Saule: « Vides, inquit, quanta tempestas coorta fuerit? At non processit ulterius, neque fecit naufragium, eo quod gubernatrix illico sentiens periculum, videlicet pia ratio, tempestatem vertit in tranquillitatem. Percussit enim David cor ipsius, ac velut equum subsilentem ac ferocientem revocavit iram. » Hanc Davidis mansuetudinem docet idem sanctus, hom. III. de Davide et Saule, animo proponendam, quoties ad iram concitatur: *Quemadmodum qui laborant oculis, inquit, si spongas ac vestium colore cyaneo pannos tenentes frequenter in ea intueantur, ex eo colore nonnullum capiunt morbi levamen: similiter et tu, si Davidis imaginem præ oculis habeas, et in hanc assidue defigas oculos, etiam millies obtundat ira, mentis oculum perturbans, ad hoc virtutis exemplar respiciens, perfectam consequeris sanitatem;* non enim, ut mox subdit, inimicus tuus Saule deterior est, qui tot insidias struxit Davidi. Longe tamen efficacius exemplar ad iræ remedium proponit nobis S. Ambrosius, tractatu de conflictu virt. et vit. hoc: *Si passio redemptoris ad memoriam*

reducatur, nihil tam durum quod non æquo animo toleretur. In praxin hoc redigebat S. Elzearius comes Ariani, qui, quoties injuriam aliquid sibi fieri aut dici sentiebat, illico fugiebat ad Christi passionem, nec ab ejus consideratione desistebat, donec ira subsistente, rediret animo tranquillitas.

II. Tarde navigabant (ut ibidem *7 VII.* dicitur: *Cum multis diebus tarde navigaremus*) ideoque navim accingebant, hoc est, (ut Beda et alii cum Corn. ibi explicant) ponderibus appensis frænabant quasi et retardabant: ne impetu abriperetur in scopulos, etc. Idem agendum exurgente motu iracundiæ, monet imprimis Sanctus Jacobus, cap. 1. *Sit autem omnis homo tardus ad loquendum, et tardus ad iram:* et Ecclesiastes, c. VII. *Ne sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti requiescit, q. d. solent enim stulti tantum, et qui sui impotentes sunt, uti infantes et mulieres, cito irasci. Quare: Ut nutrices pueris dicunt: Ne plores, et accipies, ita dicens animo commoto: Ne clames, ne festines, ac melius quævis consequeris, inquit Plut. in moral.* Sapientes ratione imperant iracundiæ, et: *Ira rationi sicut canis pastori obedit, ut ait S. Basilius, hom. de ira.* Cogitant enim se nihil boni per iracundiam efficere, nec causam suam probare, sed suspectam et pejorem facere; nam: *Qui cito movetur injuria, inquit S. Ambrosius, I. offic. c. VI. facit se dignum videri contumelia, dum vult indignus videri;* deinde, iracundia sua non nisi mentis impotentiam et stultitiam suam prode: denique, etiam aliquos, quibus irascitur, eadem ira accendere, eadem stultitia imbuere. Multo minus festinandum ad ipsam vindictam et iræ executionem, sed frænanda navis, ne in scopulos incurrat (quemadmodum incurrit Theodosius imp. ut alibi diximus) vel in altum abripiatur a recto itinere. Romani ut huic festinationi occurrerent, licitorum fascas, qui consulem anteibant, funibus colligatos esse volebant; ut si qua causa puniendi reos cogeret, mora aliqua punituro daretur, donec licitor scilicet fascas solveret atque expediret, apud Rosin. de antiq. Rom. l. 1. c. XLIII.

III. Armamenta navis projecerunt in mare *7 XIX.* Quod etiam observandum in iracundiæ tempestate, ne scilicet linguam maledicam velut gladium exeramus, vel arma ad feriendum corripiamus: nescimus enim eo tempore arma tractare, aut lingua recte uti, dum ratio obnubilata est. Ut enim puer, dum alium quærit ferro lædere, seipsum magis vulnerat ob imprudentiam; ita iracundia, cum aliis nocere studet, sibi sæpe magis nocet, ut ait Plut. in moral. Hinc sapiens ille Aragonum et Siciliæ rex Alphonsus, cum Pyrrhum pocillatorem jussisset